

F L A N D R I Æ
T E V T O N I C Æ
P A R S O R I E N T A L I O R.



Landria Teutonica ita dicta est, ad discrimen Gallicanae, quia in usu hic lingua Teutonica. Hæc à Septentrione alluitur mari Oceano, ab Austro est flumen Lissa & Flandria Gallicana: ab Ortu Scaldis

& Flandria Imperialis dicta: ab Occasu denique nova fossa, & Comitatus Artesia. Eam in Orientalem & Occidentalem dividimus. Orientalis terminos constituimus ab Oriente *Hontam*, & fossam quæ à propugnaculo *Zas* Gandavum ducit: ab Occidente lineam, quæ Neoporto per Dixmudam, Roselariam tendit. Continet autem urbes majores quidem Gandavum & Brugas, minores, Slusam, Ardenburgum, Oostendam, Neoportum, Dixmudam, aliasque.

*Flandria
Teutonica
Orientalior
Termini.*

Vrbes præcipua.

Gandavum

Primaria urbs est Gandavum, conditum vulgi opinione, tum historicorum omnium recentiorum consensu, (nam apud veteres altum de ea silentium) tum Petrarchæ, aliorumque iudicio, à C. Iulio Cæsare, cum in Morinis ageret. Mejerus hos versus incerti Poëtæ citat:

*Hanc Clarinæam veteres dixere coloni
Gorduni, populique truces coluere Sicambri,
Mercurio Cæsar, Christo sacravit Amandus.*

Enimvero Gordunorum mentionem facit Cæsar lib. 5 de bello Gallico. Postea à Wandalis dicta est Wanda, & literæ primæ mutatione Ganda, ut Walli, Galli, hinc Gandavum vernacule dicitur *Gent*, Italis *Guanto*, Gallis *Gand*. Constituit primum Flandriæ membrum. Sita est quarto à mari lapide, juxta tres fluvios, Scaldim, Liefam, & Levinum: è quibus in mare patet via per aquæductum, quem vocant *de Nieuwaert*, qui se ad ostium *Sassen* exonerat, cataractis ad hanc rem stupendo artificio exstructis. Decem miliaribus distat Antverpia, totidem Bruxellis, Mechlinia, Middelburgo. Ambitus intra muros est 45640 pedum Romanorum, hoc est Italicorum miliarium septem. Insulas habet xxvi, pontes majores xcvi, molas aquarias iv, trusatiles infinitas, centum quæ vento aguntur: Ecclesias in univèrsam lv: Abbatis v, quarum prima & antiquissima est B. Petri, in monte Blandino constituta, à Dagoberto Franciæ Rege, anno 640, post annuntiatam hic Christi doctrinam à S. Amando Episcopo Tungrensi. Cives hujus civitatis frequentia, nobilitate, opibus, animis eximii sunt. Hæc Carolum V, Cæsa-

Belgica.

rem orbi dedit. Hæc literis Iodocum Badium, Joannem Cornarium, Lævinum Brechtum, & alterum Lævinum Torrentium, Balduinum Ronfæum, Vtenhovium, aliosque protulit. Opificiorum genera in hac urbe lxxi, textorum præterea ordines xxvii, instituti primum à Comite Balduino, filio Arnoldi Magni, anno dccc lxxv. Quarto ab urbe lapide austrum versus, inter pagos *Sottegem* & *Velsebe*, ruinæ conspiciuntur murorum antiquæ, cum profundis fornicibus, è quibus numismata Romana Neronis, Gordiani, aliorumque Imperatorum, ad Constantinum usque Magnum, effodiuntur. Item vasa & signa ex metallo Apollinis & Mercurii. unde, ob tractus fertilitatem & opportunitatem situs, judicatur hic olim fuisse vel egregium oppidum, vel castrum saltem & propugnaculum Romanorum. Numerari insuper perhibent Gandavi circiter tricenas quinquies mille domos, & tredecim rerum venalium foras, inter quæ potissimum eminet id, quod vulgo vocant *de Vrydachmerckt*; quod videlicet maxime frequentetur diebus Veneris, hebdomadario urbis mercatui dicatis. In hoc foro Hispaniarum Infans Isabella statuam posuit Carolo V, Imperatori, avo suo paterno, Flandriæ Comiti. *Politia* ejus, & reipublicæ gerundæ forma sæpius per Principes immutata est: sed præcipua magisque notabilis & durabilis ea senatus formatio fuit, quæ Philippo Pulchro Gall. Regi, Guidi Principis captivi Flandriæque potienti, adscribitur: is enim anno 1301 magistratum sic instituit, civium assensu, ut annuatim octo cives, per Principis legatos urbemque ipsam electi, crearent viginti sex honestos idoneosque scabinos, quorum origo anno 1281 fuit, qui à Principis vicariis in tredecim *Curiones*, hoc est, status publici electos custodes, legislatores, totidemque; quos partitionum vocant, de hæreditatibus; tutelis, injuriis, similibusque cognoscentes, discernebantur. At plebei, postea quæstu insolentes, obtinere, ut illi viginti sex scabini ita distincti, ex tribus hominum generibus per illos octo apolectos desumerentur: *Civium* puta, de suis redditibus viventium: *Opificum* sive *questus*: & *Textorum*: plebeis numero potioribus: quibus omnibus tres supremi *Decani* præerant: Primus scabinus primis annum: alter opificum 52 collegiis, totidemque decanis biennium: tertius annum textoribus, in 27 vicis tribusque disparatis. Vnde perturbatio urbis sæpissime scaturit. Nam orta frequenter levi de causa consternatione, illi tres, ceterique inferiores decani;

S

ni;